

1702.

1. Hortius, Dr. Nicolaius : Observatio nes iuri Germanico
in personam : Da nichts ist, hat der Kaiser sein
Recht verloren.

2nd, 2nd Hortius, Dr. Nicolaius : De matrimonio instaurato
et conscientiae . 2 Sept. 1719. 1749

1713.

1. Hortius, Dr. Nicolaius : Rejactitate vulgo Ord.
Pistolicensis libertate ac exemptione a superiori-
tate et a provocatis regionum in S. R. I. imperio
dominorum.

2. Rayius, Iacobus Reinhardius : De iusto, effectu legis-
sive de effectu legis actionum in iustam deducendis.

3. Weberus, Fridericus : Thematæ quædam selectiones
1702, c. Weberus, Fridericus : De turbatis S. R. imperii
circulis . 3 Sept. 1703, 1717, 1744.

1704.


1. Von den Birghus, Philippus Chortcauus ^{De}
praescriptione praetoriorum illustrium
2. Lichtenstein, Johannes Simon Frane, ^{De legi-}
^{timis parentum}
3. Mollenbeccius, Bernh. Ludovicus : ^{De salario factorum}
^{et curatorum - - -}
4. Valentinus, Michael Burkardus : Proses medicinae
mal infallibilis, cuius Disputationem ^I De morbis
embryonum . . . ventilacioni sistit.
5. Heberus, Joannus : ^{De canonica praelatorum}
^{ecclesiae electione}

1705

1. Hertius, Janus Nicolaus : ^{De ecclesiis filialo-}
^{rugzo Filial - Kirchen.}

1705

2. Hertius, Ioh. Nicolaus: *Nc pacts ne praestetur
erictis*
3. Hertius, Dr. Nicolai: *Lobetius Te regali mineralium
medorum et inferiorum jure.*
4. Weberus, Immanuel: *De legibus divinae positionis
universali bus*
5. Hollerding, Iohs Bartholomaeus: *De incongrua applica-
tione juris Longibardici ad pentam Germaniam.*



DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
PENTADEM CONTROVERSIARUM

DE 1904, 2
LEGITIMA
PARENTUM SISTENS,

QUAM

SUPERNA FRETUS CLEMENTIA,

E X

DECRETO INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ
IN CELEBERRIMA GISSSENSIVM UNIVERSITATE

PRO SUMMIS IN UTRIQUE JURE
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

DOCTOR ALIBUS

RITE CONSEQUENDIS,

AD DIEM XVI. SEPT. A. MDCCIV. H. L. Q. C.

PLACIDO


EXCELLENTISSIMORUM ACADE-
MIÆ PROCKERUM EXAMINI

PUBLICE SUBMITTIT

JOHANNES SIMON FRANC
DE LIECHTENSTEIN,
MOENO-FRANCOFURTENSIS.

GISSÆ HASSORVM,

Excud. JOHANNES REINHARDUS VULPIUS, Acad. Typ. Ord.



VIRO
Maxime Generoso,
DOMINO
JO. SIMONIFRANC
DE LIECHTENSTEIN,
SAC. CÆS. MAJ. AULÆ AC PALATII
COMITI ETC.

*PARENTI SVO AD CINE-
RES VSQVE VENERANDO,*

DISSERTATIONEM HANC
INAUGURALEM
IN GRATÆ MENTIS INDICUM

D. D. D.

JOH. SIMON FRANC
de Liechtenstein F.



Q. D. B. V.

PROLOGUS.

Cum mos in Academis receptus antequam ad sumimos in quare honores impetrando aditus par deretur, specimen aliquod publicè ventilandum injungeret, principio quidem materiam de Legiti ma parentum, qua utilitate sua seipsum abunde commen dat, integrum proponere constitueramus, verum quòd plur imas eruditiorum de Legitimia extare lucubrations animad verteremus, aliquot saltē controversias illius tres delibera ram, quam in alienam messē falcem immittere maluimus; præser tūc cū temporis angustia, intra quod tenues ha pagelle con scribenda veniebant, tantā aūḡo, quantā ad tale argu mentum opus est, incedere, singulaque hac de re scripta vel obiter saltē inspicere, haud permitteret. Quare nulli dubitamus, B. E. hnic qualicunque instituto favore suo affu turum: & sicuti nosrem acu non tetigisse senserit, statim veniam denegaturum non esse confidimus.

CON-



CONTROVERSIA PRIMA.

*An Legitima Parentibus de-
beatur jure naturæ?*

S. I.

BONA liberorum sine prole decedentium ex
præsumpta eorum voluntate ad parentes ab
intestato devolvi, rationi naturali maximè
est consentaneum, uti præclarè & eviden-
ter docuere illustres juris naturalis interpre-
tes Grot. de I. B. & P. L. II. C. VII. §. 9. n.
i. Pufend. de I. N. & G. L. IV. C. XI. §. 13.
cùm innumera quæ in liberos ab ascen-
dentibus promanarunt beneficia successioni hancce seu libero-
rum amissorum ac duræ fortuna solatium secul. 4. circ. fin. ff. ad
SC. Tertull. & §. 1. l. cod. præ extraneis optimo jure merentia non
patiantur, ut in dubio aliam morientium mentem suisse conjicia-
mus.

A. 3. V. 1. A.

S. II.

§. II.

Interea an præsumtio hec contrario liberorum factio elidi, & ordo succedendi, qui ab intestato naturaliter omnino ita sese habet, testamento planè immutari possit, quod etiam tendit quæstio jamjam propofita, de eo non levis est inter Dd. discrepancia. Sanè plurimi in ea hærent opinione, Legitimam Parentum materialiter pro indeterminata successione, nullâ certâ quantitate spectatâ, acceptam esse juris naturalis, et si formaliter considerata juris sit Civilis; quod assertum ulterius idem defendant, quoniam (1) Parentibus sine dubio ex dictamine rectæ rationis alimenta debentur, quibus ad Legitimam firmissimum fit argumentum, cui non parum & ferè soli fudit Carpz. P. I. C. 12. D. 1. n. 9. seq. (2) Quia singularis amor & pietas, quibus liberi parentes ob quamplurima beneficia prosequi tenentur, omnino exigere videatur, ut bona parentibus relinquant; quo faciunt (3) texus juris Civilis, huic sententiae non exiguum robur addentes. Non solum enim in l. 15. pr. ff. de iusoff. tib. non minus parentibus quam liberis hereditas piè relinqu debere; sed in Nov. quoque l. pr. §. 2. certam partem patribus & matribus distribui secundum ipsam naturam esse notanter dicitur. Maxime omnium autem (4) canonisata videtur ita sententium opinio in c. I. de tib. in 6. ubi Pontifex Legitimam matris jure natura debitam binis vicibus appellat.

§. III.

Quantæ quæ autem adductæ rationes cui videti possent, non tamen tanti nobis visa sunt momenti, quin veritati cedentes negativam amplectemur. Quamvis enim omnino honestum foret, ut liberi maximorum benefactorum memores factio suo tali parentum commodo nunquam contravenirent, vel si urgentes ad essent rationes, quare fortunas suas ad extraneos deferri optent, quandam saltem opum portionem Parentibus suis assignarent, eò tamen Lex naturæ liberos præcise non adgit, licet gratæ mentis indefessam exhibitionem generaliter ipsis satis commendet. Grot. d. c. 7. §. II. n. 1. Adeoque si dicendum quod res est, Legitima Parentum

¶ 7 ¶

tentum inter ea referri meretur, quæ laudabilia quidem sunt & me-
liora suis oppositis, abusivè tamen juris naturalis dicuntur. Vid.
Pufend. d. I. N. & G. L. II. c. 3. §. 22. Quodsi enim jus naturæ
materiale Legitimæ scil. successionem indeterminatam in bona libe-
rorum præciperet, sanè (1) ipse Deus, supremus & sapientissimus
Legislator, qui Legem naturæ omnium in hoc mundi theatro ver-
santum mortalium digito suo ipsem et inscripsit, & honorem Pa-
rentum iis dem altissimè insculpsit, matrem (quæ tamen quâdam
præ patre prærogativâ in successione ob pariendi, gestandi, laetan-
dique labores gaudere debere videri posset) & ascendentos mater-
nos à successione liberoru*Num. XVII. 8. seqq.* penitus non exclusisset
quod tamen ibidem factum. vid. Selden. *de success. ad LL. Ebr. in*
bon. defunct. p. m. 43. Ejusdem quoque (2) tenoris erant LL. XII.
Tabb. matrem similiter removentes pr. I. de SCro Tertyl. Utta-
ceamus (3) post SCrum Tertyllianum adhuc patrem sive manumi-
sorem sive non manumissorem I. 2. §. 15. ff. ad SCt. Tert. l. 10. ff.
de suis & legi. ut & (4) fratres consanguineos matris præpositos
§. 3. l. de SCt. Tert. in fin. ibique Vinn. & ad §. 5. l. de inoff.
test. n. 3. Nov. 22. c. 47. inf. Imd (5) fratres tam uterinos quam
consanguineos Parentibus utriusque texus quondam fuisse prælatos
docent l. 4. C. de bon. qua lib. l. 2. C. ad SCt. Tert. l. II. C. comm. de
success. Nov. 84. Cap. I. §. 2. pr. I. quib. non est perm. fac. test. Cui
& hoc (6) adjici potest, quòd adhuc jure Novellarum, secun-
dum veriorem tentationem, miles Parentibus Legitimam admire
possit, cum speciale persona militis in l. 9. l. 24. C. de inoff. test.
concessum privilegium nusquam sit ademprum. Quas constitui-
tiones omnes in jus naturæ impingere, adeoq; turpitudinem moralem
fovere, nemo manus asserit. Conf. omnino (7) 2. Cor. XII. 14.

§. IV.

Videndum nunc etiam est, quomodo fundamentis in con-
trarium allatis satisfieri possit. Respondemus igitur ad PRIMVM,
quod (a) extra aleam positum sit, consequentiam ab alimen-
tis ad Legitimam formaliter tales non procedere, neque af-
firmative, universalitatem nexus infringente exemplo libe-
rorum naturalium, quibus à Patre alimenta non Legitima de-
betur. Nov. 89. C. XII. §. 6. neque negative; falsitatem
nam que

namque ostendit instantia à liberis divitibns, quique ipsi acquire-
re possunt, deprompta, quibus Parentes non ad alimenta *l. 5. §. 7.*
ff. de agno. & alend. lib. ad Legitimam tamen relinquendam ob-
stringuntur, cum divitiae liberorum nusquam inter justas exhereda-
tionis causas numerentur. Porro hæc demum mortuo eo, qui eam
débet, prætendi potest, illa etiam à vivis exhibenda sunt. Et quām-
vis (β) concedamus, tali casu, ubi Parentes senio ac summa pre-
muntur egestate, liberos ad alimenta eis præstanda jure nature &
in conscientia obstringi, eosque non alere nefarium esse, docente
Cic. de arnpp. conf. l. 5. §. 16. ff. de agno. & alend. lib. ibi : natu-
rali ratione. l. 8. §. 5. C. de bon. quo lib. Carpz. P. 2. C. 10. D. 29.
attamen cum secundum communem naturæ cursum non adē fre-
quenter contingat. Genitores in tanta egestate & infirmitate con-
fittui, ut nec unde vivant habeant, nec operis suis victum sibi ac-
quirere valeant; unde confequitur, quod obligatio parentis
*alendi non sit ordinaria, tradente pluribus Hahn, *Diss. de alim. §.**
12. Conf. Grot. cit. L. II. C. VII. §. 5. n. 1. male exinde generalis
regula formatur, Legitimam Parentum materialiter acceptam esse
jurius naturæ. Minus stringit *SECUNDUM* à contraria parte al-
latum argumentum; utrū enim ius naturæ pieratem parentibus ex-
hibendam serio præcipiat, nondum tamen nexus argumentationis
patet, quomodo inde ad bona à morientibus necessariò reliquen-
da fieri possit illatio: quâ admisssâ eadem facilitate demonstrare
possemus, Præceptoribus, quibus nec ipsis æquivalebant redi pos-
se Gentiles agnoverunt, Magistribus, Patriæ, aliisque Benefacto-
ribus & nutritoribus Legitimam secundum juris naturalis dictamen
esse reliquendam, cuius asserti defensorem tamen, quantum
meminimus, haec tenus audire non licuit. Conf. Justus Sinol. d.
Schitz Exerc. Jur. ad l. Disp. X. th. 19. inf. Nec eriam *TER-*
TIUM è LL. Justinianearum Codice petitum fortius est. Rigi-
quidem juris Civ. censores paratâ nbi deerunt exceptione, jura Ro-
mana adē servili ingenio non esse tractanda, ut iisdem etiam in il-
lis, ubi melior juris naturæ cognitio nos aliud docet, subscriven-
dum sit: Sed non perspicimus, quid nos urgeat, ut ad tantas
recurramus angustias & nunquam fatis laudatae LL. Romanarum
sapientia tenebras offundamus. Quod igitur ad cit. l. 15. ff. des-
off. test.

¶¶¶ 9 ¶¶¶

aff. test. attinet, illa nobis opponi neutiquam potest, ut pote affe-
rentibus, honestatem omnino & pietatem suadere, ut parentibus
aliquid saltem à Liberis decedentibus assignetur, interea actum con-
trarium turpem esse perneganus. Deinde nihil impedit, quod minus
& illud PIE observari dicamus, quando LL. civiles, quod haec tenus
honestatis latet rationem habuit, in Legis necessitate convertunt.
Sed quomodo Dissidentes Nov. I. pr. §. 2. firmiter contra nos adhi-
bere possint, ipsi viderint. Sanè verbis illis: *secundum ipsam na-
turam*; jus naturæ non præcipiens sed suadens indicati, improprie-
tatem locutionis particula: *tangam*; satis argente, ipse con-
textus docet, cum inter eas personas, quibus secundum ipsam natu-
ram certa quedam pars distribuenda dicitur, etiam fratres referan-
tur, quibus iure naturæ aliquid necessariò relinquendum esse, nec
ipsi contraria sententia Patroni adhuc tueri ausi sunt. Sed quo-
modo (quod QVARTVM est) Pontificis effato in c. 1. de test. in 6.
occurremus? Scilicet nisi patiar verba sua de jure naturæ abusivè
sic dicto intelligi, de conciliatione ulterius solliciti esse nolumus, sed
tela potius contra ipsummet intendemus. Etenim si Legitima ma-
ris esset jure naturæ debita, nec per substitutionem à Patre factam
(de qua in d. c. 1. sermo est) quippe que eidem ex jure patriæ
potestatis, quod hac in parte juris Civilis est §. 2. 1. de pat. por. junct.
pr. 1. de pupill. subf., comperit, interverti posset, quoniam civilis ra-
tio civilia quidem jura corrumperè potest, naturalia vero non uti-
que. §. fin. 1. de Leg. Agn. Tut. §. 11. 1. de I. N. G. &c.

§. V.

Illud tandem sua sponte ex predictis fluit, quod cum jure na-
ture præceptivo Legitima Parentum non debeatur, ea non solum
statuto minui, sed etiam (modò necessitatis calum in §. præc. rela-
tum, quo parentes alimentis indigent, excipias) planè tolli pos-
sit, v. Stryk. Tr. de S. A. I. Diff. I. c. 1. n. 13. quānvis huic non sine
urgentissimis rationibus (v. gr. sicuti ob familiarum splendorem
conservandum vel restaurandum mater-excludenda sit) locum
existimemus. Conf. Grot. alleg. I. 2. C. 7. §. 4. p. 3. ubi asserit,
Legitimam tolli non posse, quatenus ei insunt alimenta, sed quod su-
perest

B

per se toti pessi non repugnante natura. vid. etiam Gail. 2. O. 122. n.
16. ut ut tale statutum sine valida ratione pro irrationabili declareret
Mev. 9. D. 161. cum quo faciunt Myns. Cent. 6. O. 44. Carpz. p.
3. C. 12. D. 1. Berlich. P. 3. Concl. 18. n. 26. Brunn. Ex XII. ab Inf.
pt. de inoff. test. §. nle. n. 12.



CONTROVERSIA II.

An liberi ex personis despensatis ante benedictionem sacerdotalem nati, matre priusquam hierologia illa accederet defuncta, Patri superstiti Legitimam debeant?

§. I.

Tota questionis hujus dijudicatio ab aliis non minus agitata controversia prajudicialis decisione pender, utrum seil. liberi ex hinc personis nati legitimis, anverò illegitimis & naturalibus accensendi veniant? Prioris enim affirmatio sine dubio & principaliis questionis affirmativari, posterioris verò assertio negarivam inferet. Ratio autem, quare controversia Statutum de sola patri, non verò matri debita portione posuerimus, in eo constitit, quoniam utroque casu, sive liberos tales naturales dicas sive legitimos, matri legibus determinata pars testamento est adscribenda. arg. L. 29. §. 1. ff. de inoff. test. l. 8. unde cogn.

§. II.

Qui liberos hosce illegitimos esse contendunt, sequentibus potissimum nituntur rationibus: (1) quod matrimonium circa benedictionem sacerdotalem contractum (etsi quoad indissolubilitatem ratum ac validum) illegitimum sit, quoniam necessarium LL. requisitum non sit adhibitum; qualis v. causa, talis effectus. Quod

Quod ne dixisse solum videantur, probant (2) pertextum in c. e. XXX. q. 5. ubi disertè negatur, conjugium alius esse legitimum, nisi cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur ut & (3) per c. 3. X. de cland. desp. Addunt alii (4) liberos istos melioris notæ non esse, acoꝝ, qui apud Romano progeniti erant ex concubinatu, qui pes solennitatem à matrimonio discernebatur. Econcubinatu autem progeniti liberi naturales sunt & illegitimi.

¶ III.

Alii contra legitimatem horum liberorum astruere ideo non dubitant, quoniam (1) tali matrimonio definitio nupiarū omnino convenit, quam tradit jus Civile §. 1. de pat. pot. & quia non tolerantur hæc, sed affectus indubitatus & manifestus inter Conjuges existens filios praestat esse legitimos per Nov. 18. c. 4. §. 1. Cum quo (2) conspirat jus Canonici (quicquid etiam statuerit Concil. Trident. sess. 2. c. 1. de reform. marit.) quod in c. 30. X. de sponsal. clarissimè disponit, quod sponsalia, quibus carnalis copula accessit, per presumptionem juris & de jure in matrimonium transeant. Inconveniens autem videtur liberos è valido matrimonio natos illegitimis annumerare. Omisso namque hierologias (3) quāvis involvatur peccatum parentum contra publicam honestatem & ordinationes Ecclesiasticas, non tamen illicè illegitimatem inferit, nisi pœnam istam expressè forsan statuta dicent, quibus cessantibus cùm plerisque in locis alter puniantur solennia hæc omittentes, v. Carpz. p. IV. C. 27. D. 12. Lauterb. Colleg. Theorico-Præf. ad tit. ff. de sponsal. §. 35. sanè nimis durum foret circa autoritatem LL. pœnam pœniscumulare, & tali matrimonio liberisque inde natis maculam iniurere, cùm odia portiū sint restringenda c. 15. de R. q. in 6. Edi magis, quod (4) in hac specie calus fortuitus, mors sc. uxoris obstat, quod minus solemnitas illa adhuc ad liberti queat. Quibus (5) adjici potest decisio Pontificis in c. 12. X. qui fil. sint. legit. ubi in fin. generaliter concludit, filium ex concubitu sponsalia sive de præsentis de futuro subsequentे progenitum legitimum esse. Ad de omnino Prosp. Fagnan. ad cit. c. 12. X. n. 2. & ad c. 2. X. de cland. desp. n. 6. Conf. Carpz. P. 3. C. 14. D. 12. Mey. p. 2. D. 8.

*Br. ad l. 17. C. de iusoff. tib. n. 8. Struv. S. J. C. Ex. X. th. 16.
XXIX. th. 26. XXXII. X. th. 23. & S. J. F. c. 9. §. I. n. 13.*

§. IV.

Nos cum non solum hic sed & alias pro principio tenemus, in questionibus controversis in mitiorem potius partem inclinandum & quae majori aequitate nititur. *l. 56. l. 155. §. 2. l. 192. §. 1. ff. de R. J. posteriori loco recensitae sententiae subscribendum ducimus, praeterea cum & praxis huic ipsis adverba sententiae Patronis non differtibus. Lauterb. lib. cit. ad 1. ff. de R. N. §. 9. inf. & §. 17. inf. assistat, nec requirat, ut partus ex tali coniunctione editus Rescripto Principis legitimetetur. Quibus praemissis ad rationem exadverso allatam PRIMAM respondeamus, necessariā esse benedictionem sacerdotalem, ita ut ejus omisso producat esse etiam punitio, non illegitimitatis, eeu quo sine non fuit introducta. Ad SECUNDAM re. d. c. 1. non parum quidem aduersarii patrocinari videri; cum vero teste Blondell. in Pseudo-Judor. p. 144. ipsius sit, canones autem in Decreto majoris in authoritatem non habent, quam Autores unde desumunt sunt, uti faretur Delrio quis. Mag. lib. 5. sect. 16 & præterea in d. c. 1. dos aliqua ad legitimū matrimonium necessariō, sed inconvenienter requirantur, quis*

Nil profecturis littora bobus arat,

ut prolixius ostendit Magnif. Dn. D. Hertiūs, Patronus & Praeceptor noster nunquam sine reverentia non inandus in Diff. de martr. puer. §. 4. ibique allegati. Ad TERTIAM re. quod in d. c. 3. casus continetur singularis, quando nimis rur quis clandestinum gradu vetito vel tamdiu, donec constet utrum in gradu prohibito sit nec ne, expressè interdictum conjugium iniire praesumit, ubi specialiter liberi illegitimitatis notā afficiuntur; que exceptio à regula eandem adeo non infringit, ut eam potius in casibus non exceptis confirmet. Ad QUARTAM re. non unum intercedere inter Romanorum concubinatum & matrimonium, de quo nos loquimur, disserim. Etenim (a) hic animus conjugi-

— 13 —

am solenne contractandi (quavis effectus casu impediatur) & de-
sponsatio, quam probari posse presupponimus, præcedit, quod
ibi securus erat. Deinde (b) taliter desponsati superstites ad bene-
dictionem adhuc adhibendam cogi potuissent; sicut ad eam, quam
quis tanquam concubinam assumpsisset, matrimonio solenni ac-
scendam nemo adigi poterat; quæ ad differentiam inducendam
allegasse sufficiat.

§. V.

Evicto igitur, quod liberi ex sepe memorata conjugione
progeniti legitimi sint, dubium amplius non est, tam Patres hisce
liberis, quam hos suis Genitoribus Legitimam debere, cum succes-
siones non saltem indeterminatae, sed & ex, que ad certam quan-
titatem à Legi sunt restrictæ, sint reciprocae. Nov. 89. c. 13. Nec
illud tandem prætereundum, quod concedentibus dissentientibus
v. Lauterbi, l.c. ad trit. ff. de R. N. §. 17, hierologia non sit de sub-
stantia matrimonii, ita ut non matrimonium ipsum sed matrimo-
nium Christianum efficiat. Quandoquidem ergo nobis potissimum
hoc loco de legitimitate hujus mattimonii ad effectum suc-
cessionis sermo est, sis in dubium vocari eò minus debet, quod cer-
tius est, quod successio non deferatur personis, quos matrimoni-
um hoc tangit, qua Christianis, sed qua parentibus & liberis, ut si
vel maximè diff. concedamus, conjugium hoc solennitate quâdam
destitui, cum tamen secundum eorundem confessionem verum
matrimonium subsit, quomodo ejusdem effectus negari possint, non
perspicimus.

CONTROVERSIA III.

An Parentes heredes instituti & fideicou-
miso universalis gravati tam Legitimam
quam Trebellianicam detrahere possint?

B 3

§. I

Circa articulum huncce, quem difficilimum esse agnoscit Merlin. tr. de Legit. L. 2. tit. 2. q. 31. n. 1. misere rursus Dd. ingenia torquentur; nam & hic tam negantum quām affirmantium partes reprehendere licet. Illorum classi quisē se assident vid. ap. Enekel. de priv. par. & lib. pr. XIV. part. alter. c. 6. n. 2. & Ferdin. Christoph. Harprecht. in eleganti Diff. de jure deduc. duas quartas, in qua integrum hoc argumentum eruditè & prolixè tractat cap. 3. n. 36. p. 61. Inter rationes autem, quibus sententiam suam stabilire satagunt, hæ potiores sunt: (1) Quia jus Civile duarum ascendentibus quartarum detractionem denegans nusquam sit correctum. Pontificum aurem (2) Decretales seu LL. correctorie ne quidem ob identitatem rationis extendi possint; præfertim cum (3) continant singulare descendenteribus concessum privilegium, quod strictissimè est interpretandum. Accedit (4) quod si Pontifices idem jus circa Parentes obtinere voluissent, id facilimo negotio exprimere potuissent. Denique non infrequens (5) in jure esse, ut inter descendentes & ascendentibus diversissima obtineant. Sic privilegarius testandi modus ad Parentes non liberos, è contrario Jus Collatio-
nis ad filios Descendentibus non Ascendentibus pertinet. &c.

S. II.

Horum vero casis, qui dispositionem juris Canonici (de jure Civ. enim unius duntaxat quartæ detractionem licitam esse, expeditum est) circa fideicommissa universalia sub conditione vel ad diem relicta eriam ad Parentes institutos spectare assertunt, se accentes, hisce inter alia causæ sua præsidium conciliant. Quia (1) à Regula Dd. quod inter Legitimam Parentem & Liberorum in dubio non sit statuenda differentia, recessendum esse non videatur. Vid. Brunn. ad l. 35. §. ult. C. de inoff. test. Carp z. P. 3. C. 1. d. 21. n. 10. Quoniam (2) Pater & filius correlata sunt, quæ eodem jure etiam in correctoriis censentur, sicut regula hæc traditur ab Imp. in l. fin. C. deind. viduit. coll. Aliud exemplum habetur in Nov. 18. c. 1. ubi

ubi licet liberorum duntaxat Legitima expresse augeatur, Parentum tamen Legitimam ex eadem parte augmentum accepisse, magno consensu Dd. docent. Simile deprehenditur in 1. 2. C. derec. vend. de venditore quidem duntaxat cohæpta, ad empropter tamē communiter, Curut dispositio ejus propter rescissionem & us validi odiosi videatur) & recte extendi solita. Conf. Enenkel. de priv. par. & lib. prolegom. n. 6. Carpz. P. 2. const. 13. d. 21. n. 2. In primis vero (3) quia eadem quo ad Parentes & liberos ratio est; Legitima enim utrobius ob Legis iussionem, Trebellianica vero ad invitationem & redhominatum aditionis & restitutionis ab hæredibus quoque extraneis detrahitur, quod agnoscit Pontifex in c. Raynus X. de reb. ibi: cum etiam quilibet extraneus restituzione gravans eam deducere posuerit, & in c. Raynaldus X. cod. ibi: quoniam idem R. habebar in bonis quondam Peponis Patris sui tertiam partem debitam iure nature, in qua gravans negavit, nec non quartam Trebellianicam, quam quilibet extraneus restituzione gravans deducere posisset.

Uti posterior hæc opinio non solum exquitate sed & in præxi
Priore potior est, testante post plurimos allegatos Harpr. cit. Diff.
n. 37. ita eidem subscribere non veremur; nec ab ea dimovemur
Diff. ratione PRIMA, cum etiæ jus civile quod Parentes non
explicite, implicite tamen correctum sit per prolatam th. præc. Nec
SECUNDA, quia etiam in correctoris quandoque locus est exten-
sionis, ut i vocari, comprehensivæ v. th. præc. n. 2. Nec TER-
TIA quæ principium petit. Nec QUARTA, quoniam (a) casus
deliberis fideicommissi universali gravatis oblatius fuit Pontificibus,
fine dubio idem responsuris, si de Parentibus fuissent interrogati;
queratio (b) alia quādam iuratur; quandoquidem enim ratiis con-
tingit, ut Parentibus Legitima & Trebellianica competat, cum pa-
rentum & naturæ commune votum liberos potius quam Parentes
superfites velit: sancè non opus est, ea quæ ratiis, sed quæ plerum-
que accidunt, exprimi per l. 10. ff. de L.L. Non absimile exem-
plum

plura suppeditat Codex sacer *Nom.*, *XXVII. 9.*, ubi in recensione ordinis successionis patris nulla omnino sit mentio, cum tamen statum nimis foret credere, Patruo concedi hereditatem nepotis ob cognationem patris, ipsi vero patri ea auferri; quod judicium est Philonis *Lib. III. de vit. Mos.*, relati a Selden d. tr. de success. in bon. def. p. 43. Conf. Grot. in *Annot. ad cit. vers. 9.* Nec denique QUINTA; neque enim expressa Lege differentiam inter jura Parentum & Liberorum introduci posse diffitemur, sed in dubio saltet quoad Legitimam Ascendentium & Descendentium discriminem non agnoscimus. Plerumque tandem diversitas jurium inter hanc personas rationum quoque diversitate stipatur, ut in exemplis ab adyferariis afferri solitis clarissime patet. Sic Parentum inter liberos ultima voluntas minus solennis ob reverentiam & pietatem ipsis debiram sustinerit; non vero contra liberi inter parentes ita testari possunt ob cessantem rationem. Rursus onus collationis Descendentes solum non Ascendentes tangit, quoniam quoad hos favor æqualitatis exactè servandæ deficit. Conf. Carpz. *P. 3. c. 1. d. 21. n. 9.* Brunn. ad *l. 15. ff. de inoff. test.* *n. 2.* Mev. *7. d. 19.* Lauterb. *cit. colleg. ad iur. ff. ad SCt. Trebell. §. 33. inf.* Stryk. de *S. A. I. Disp. 7. c. 1. n. 34.*

§. IV. Attamen una circa duarum harum portionum detractionem inter Ascendentes & Descendentes primi gradus notanda adhuc est differentia, in eo se exerens, quod hi fructus pendente fideicommissari perceptos in Trebellianam imputare non cogantur, insigni hoc privilegio mactati ab Imp. Zenone in *l. 6. C. ad SCt. Trebell.* qui *in fin. d. 1.* disertè prohibet sanctionem hanc ad alias personas produci, adeoque nec Ascendentibus rectè tribuerit, uti sentiunt Dd. comim. Harpr. *l. 1. d. 1. 34.* & quidem ex ratione, quia dispositio *l. 18. §. 1. ff. ad SCt. Trebell.* quoad Parentes neque expressè neque tacite usquam est correcta, arg. *l. 32. C. de appell.*

CON-

CONTROVERSIA IV.

*An in computanda Parentum Legitima
Fratres ac Ascendentes justè exhereditati
vel præteriti numerentur?*

§. I.

IN intricata hac controversia inter antiquos JCTros jam valde agitata nec apud recentiores plenè sopia id quidem in dubium nemo vocat, quod justè exhereditati vel præteriti partem non accipiant, cum exhereditatio nihil aliud sit, quam exclusio à Legitima, sed illud duntaxat ambiguum est, utrum justè exhereditati numerum faciant eo effectu, ut his communeratis portio in Legitima institutorum vel augeatur (à triente ad semissim) vel minuatur, (aut exclusi numerati portio penes heredem scriptum remaneat, adeoque v. gr. è quatuor ab intestato alioquin successoris uno justè exhereditato, ceteri tres non totum trientem, sed tres solitus trientis partes consequantur) an vero nulla planè justè exhereditatorum vel præteriorum ratio habeatur? Prius defendantium partes in se recipiunt Bartol. in rep. l. p. 1. pars lib. 14. ff. de inoff. test. Struv. Ex. X. lib. 32. Bachov. ad Tr. Vol. 1. D. 13. lib. 15. lit. A. Vinn. sel. Qq. 1. i. c. 21. Lauterb. in cit. Colleg. Theorico-Pract. ad tit. ff. de inoff. test. §. 43. sequi fundamentis et quibus ruentur (1) l. 8. §. 8. ff. de inoff. test. ubi expressè dicitur exhereditatum partem facere. (2.) Quia Legitima computatur secundum successionem ab intestato, ubi etiam fratres & Parentes justè exhereditari vel præteriti successissent. Et (3) quod si non computarentur præteriti vel exhereditari, vergerer præteritio vel exhereditatio aliquando, si sc. parentum cum fratribus coniunctorum numerus quinarius attingeret, in damnum aliorum, qui institutis sunt in Legitima, & acciperent hi non semissim suæ portionis, sed trien-

C

§. II.

§. II.

Econtrario negativæ subseribunt Bald; in d. l. pater filium ff. de inoff. test. n. 7. & in Auth. novissima q. 8. Salicet. q. 9. C. de inoff. test. Paul. Calvins. Conf. 254. Peregr. de fideic. art. 38. Gail. 2. O. 122. n. 18. Fachin. l. 4. c. 31. Mancius de testam. tit. 12. q. 4. n. 3. & 4. Berlich. præf. concl. 12. n. 9. Scotan. D. 24. th. 15. Barry. de success. l. 6. tit. 2. n. 5. Treutler. Vol. i. Diff. XIII. th. 15. Perez. ad tit. C. de inoff. test. n. 40. Carpz. P. 3. C. 10. Def. 12. Brunn. ad d. Auth. Novissima C. de inoff. test. n. 8. Quoniam (1) justè exhæredati, quantum ad successionem, pro mortuis habentur §. 3. l. de succ. libert. l. 1. §. 5 ff. de conj. cum emanc. lib. respectu sc. exhæredantium & ab his institutorum, ut illi nec prodele nec obesse possint, lecus est ratione liberorum ex se genitorum, quibus obstant per l. 1. §. 6. l. 3. ff. de conj. cum emanc. lib. Struv. Ex. 32. th. 26. nisi liberi isti in avorum suorum potestate proximo gradu fuerint dd. ll. Sicut igitur naturaliter mortuorum in computanda Legitima nulla habetur ratio, ita nec justè exhæredatorum, qui illis & equiparantur, ita, ut ne quidem opus sit fictione juris accrescendi; cum justè exhæredatinum non minus exinde (2) confirmari potest, quod sc. cest hoc casu ratio aucta Legitima, i. e. numerus liberorum actu concurentium, justè autem exhæredati vel præteriti ad partem non admittantur, adeoque aliorum portiones non minuantur: cuius consequens est, eos nec partem facere nec numerum augere, nam ut eleganter loquitur J. Cris. in L. 19. §. 4. ff. de bon. poss. contr. talib. quòd bonum est eis favere, ut partem faciant, nihil habituris?

§. III.

Quandoquidem verò posteriorem sententiam & rationem firmitas & optimia LL. interpres fori observantia, testantur ex ipso eum dissentientium numero Struv. Ex. X. th. 32. magis commen- dat, non possumus, quin eandem amplectamur. Respondemus igitur ad rationem aliter statuentium Primam, quod in d. l. 2. ser-

mo sit de iustè exhæredatis , cuius rei manifestum argumentum est , quia querela in officiis iis competere ibidem dicitur , justè autem & non iniquè exhæredatis , de quibus nobis hīc sermo est , non datur querela in officiis , quippe contra officium pietatis non exhæredatis l. 11. 18. 28. C. de inoff. test. Conf. C. J. A. add. tit. th. 13. Ratio differentiæ inde colligitur , quod iustè exhæredati pro mortuis reputentur , iustè vero exhæredati succedere possint ; Regula autem est , quod qui admittitur seu admitti speratur aliquo jure actio- nis , exceptionis aut alterius æquitatis , is faciat & partem & numerum l. 1. §. 4. & s. ff. de bon. poss. contr. tabb. vid. Peregr. d. lib. art. 38. n. 9. Cum g. alleg. l. 8. §. 8. cuitantum fidunt adversarii , statim controversia non feriat , causa non est , cur eidem immoremur . Secundum argumentum quod artiner , concedimus Legitimam computari secundum successionem ab intestato , quod intellige , rebus sic se habentibus ab intestato , sicut ex testamento , quod hīc fecus . Et quid opus est verbis , ipsius Nov. 18. c. 1. accurriō perlastratio ad oculum ostendit , Imp. quando de numero personarum loquitur eundem capere non naturaliter sed civiliter , ratione sc. successionis realis , ibi : non triuncium Els (Legitima autem iustè exhæredatis vel præteritis non relinquitur) relinqui solim . Nec quicquam facit tercia pars adversa illatio ; quod enim ita scriptis in Legitima quandoque præjudicetur , id casui est imputandum , sicut si unus vel alter ex iis naturaliter moriatur , ubi similiter Legitima à semisse (in quo vivis liberis Parentes jus quæstum nondum habent) ad tri- entem converti potest . Sicut etiam quandoque iusta exhæredatio vel præteritis facit , ut tandem portionem instituti in Legitima ac- cipient , quam computatis exhæredatis vel præteritis confequen- tur . Pone enim hæreditatem deductis deducendis esse 6000. fl. adesse 6. personas Legitimam exspectantes ; hi si omnes instru- rentur cuiusvis Legitima esset 500. fl. sin vero quatuor tantum- modi personis Legitima relinquitur , ea totidem 500. efficit . Imò fragilis hæc dissentientium argumentatio inverti quoque posset , et enim quibusdam in casibus iusta unius exhæredatio vel præterito in commodum instituti cedere potest , si illius nulla habeatur ratio .

Quando enim v. gr. filius vel filia matrem instituit in Legitima, fratres vero & sorores extraneo herede (personā non turpi) herede universali scripto praeferit, matrē secundūm nostrā sententiā, quoniam praeferiti hīc non computantur, nanciscetur terciam totius hereditatis, clīm si vel aliqui eorum fratrū sc. & sororū, vel omnes Legitima simul honorati fuissent, mater non trientem totius hereditatis, sed pro numero concurrentium vel trientem vel semiſsem partis ab intestato debite fuisset adeptura; ut ita matrī praejudicaretur, si fratrū & sororū ratio haberetur. Sic in exemplo modō dato, quo hereditas continget 6000. fl. mater sola in Legitima instituta acciperet 2000. sive rōvel unus saltem conjunctus esset in Legitima, ambo unum duntaxat trientem, adeoque mater non nisi 1000. consequeretur, sit vero sex v. gr. sic instituti in Legitima, est hoc casu semis debeatur, quilibet tamen non nisi 500. est adepturus. v. Treutler. Vol. I. Diff. XIII. tb. 11. Et secundūm modō tradita casu in facto obveniente, ubi filia matre viduā in Legitima institutā, fratribus & sororibus praeferitis, cū maritus defuncte scriptus heres contendet Legitimam matris non totius hereditatis, sed portionis in causa intestati computatis fratribus & sororibus debite parcam esse, mater vero trientem totius hereditatis praerenderet, pro hac in Illustri Judicio patrio An. 1700. d. 3. Febr. pronunciatum meminimus: Dass besagter Wittib Legitima der dritte Theil der ganzen Verlassenschaft ihrer verstorbenen Tochter N.N. weyl. besagten N. N. Eheflower / mithin er N. N. (maritus) zu restitucion dieses völ ligen einen dritttheils gedachter N. N. (vidua) zu condemniert/ auch über die gesamte Erbschafts: Söhner eine Epetische Delegation ihr zu extradicen anzusezen sey &c.

CON-

CONTROVERSIA V.

An substitutio pupillaris tacita matrem à Legitima jure Civile excludat?

§. I

Hactenus equidem theoriam cum praxi, quantum fieri potuit, conciliare conati sumus; sed nunc item aggredivimus, in qua non possumus, quia agnoscarius à veritate theoretica praxin plurorumque locorum (v. Lauterb. d. l. ad tit. ff. de vulg. & pup. subff. §. 31. Struv. Ex. 33. th. 29.) secessum facere. Nimium questionis sensus hic est: an si pater filio impuberi vulgariter in casum, si haeres non erit, substituerit, filius autem iste haeres quidem existat, sed in impuberi etate decedat, an, inquam, substitutus etiam hoc in casu ad successionem vocetur, & matrem planè, etiam à Legitima, excludat? Nobis de jure Civili (ad quod nos unicè hic respicere in antecessum monemus) verissima videtur affirmativa. Quia PRIMO LL. inter substitutionem expressam ac tacitam non agnoscunt differentiam, sed utroque casu substitutum admittunt. vid. l. 4. pr. ff. de vulg. & pup. subff. Et cum unicum tantum jura suppedent exceptionem, tuto inferimus, quod ea firmet regulam in casibus non exceptis. Exceptionem autem istam constituit voluntas testatoris contraria vel expressa vel tacita. Tacite, quantum constat, duo produntur in iure exempla. Unum habetur in l. 4. §. 2. ff. cod. quando plures cohaeredes, quorum quidam sunt puberes (vel impuberes quidem, sed qui non sunt in testantis potestate, ut iis pupillariter substitui nequeat) quidam impuberes, reciprocè sibi sunt substituti, quo casu etiam his non nisi vulgariter substitutio facta intelligitur, quoniam ut id. rationem ipsa exprimit, incongruens videbatur, ut in altero duplex esset substitutio, in altero

sola vulgaris; quam in rem aperti quoque sunt textus in l. 2. & 4.
C. de impub. & al. subſt. Alterum est in l. ult. *C. de inſtit.* & *subſt.*
 ubi mater ideo præfertur substituto in casum, si posthumus natus non
 erit, posthumo nato sed impubere mortuo, quia ipsa etiam ha-
 res instituta est; sicut Imp. hanc voluntatem defuncti fuisse colli-
 git, ex ratione, quam ipse reddit in verbis: *Si enim sue ſubſtantie*
partem uxor dereliquit, mulio magis & inuctuofam hereditatem ad
matrem venire curavit. Quod autem Imp. exceptionem
 tradere voluerit, clarum evadit ex formulâ ibidem adhibitis: *in*
hac ſpecie, in huicmodi caſu. *SECVNDO* quoniam in pupillari
 tacita ſubstitutione ex eadem ratione mater a querela inofficioſi, &
 confequenter à Legitima removetur, ex qua in expreſſa arceretur; vi-
 delicer quia non filius sed Pater vi Partiae potestatis filio eā in-
 tentione teſtamentum fecit, ut ſucceſſionem ab inteſtato averteret. *v.*
l. 8. §. 5. ff. de inoff. reſt. l. 9. C. de impub. & al. subſt. & c. i. X. de
reſt. in 6. ubi diſerte per ſubstitutionem pupillarem expreſſam ma-
 ter à Legitima excludi dicitur. Cætera qua afferri poſſunt, in refolu-
 tionē dubiorum adducemus. *Conf.* Vinn. *ad pr. l. de pup. subſt.*

§. II.

Verūm ſententiae huic noſtræ tanta Dd. multitudine adverſa-
 tur, ut vel ſolo numero quis deterri posset. Non paucæ etiam
 in contrarium adducuntur rationes, quādam ut evincant, matrem
 ad ſucceſſionem ab inteſtato plenam admitti, & ſubstitutum omni-
 nō excludi, quādam verò, ut matris faltem Legitiman, reliqua
 verò bona ſubstituto deberi proberent. Recenſebimus plerasque,
 quoniam neutra ex his opinio juri conuenit. Et quidem omnimo-
 dam matri ſucceſſionem tribuentes hoc in primis utuntur funda-
 mento (1) quod exclusio mattis sit odiosa, adeoque reſtrigenda;
 cùm (2) diversa ſit inter expreſſam & tacitam ſubstitutionem ratio.
 Ibi verba Testatoris clara ſunt, quod nim, magis voluerit, ut ſubſtitu-
 turus ſuccedat, quām mater, non hīc, ubi dum Pater non expreſſe
 ſubstituit filio in caſum mortis in impuberi ætate, credendum eſt,
 eum potius voluisse, ut diſpoſitio tua ſit conformis debito filii, cu-
 juſ personam luſtinet, ut ſicut filius non excludiſſet matrem, nec
 ipſe

ipse Pater exclusisse videatur. Brunn. ad l. 8. §. 5. ff. de inoff. test.
 Huc trahunt (3) antea à nobis citatam l. fin. C. de insit. & subst.
 putantes, quod ratio ibi adducta pro matre cohærede, quod nem-
 pe luctuosa ipsi sit hereditas filii, multò fortius militet pro matre,
 quæ non est cohæres. Maximè (4) cùm in questione ad eò con-
 troversia æquior potius sententia sit lequenda, qualis sine dubio est,
 quæ matris faver. Sunt & alia, sed quæ, ut diximus, pro Legiti-
 ma tantummodo matri assignanda pugnant. Tale est (5) quod
 non sit consequentia, est à querela exclusa, ergo etiam à Legiti-
 ma, & omnino (6) hæc etiam Legitima jure naturæ debeat ur, &
 (7) omne gravamen à Legitima abesse debeat.

§. III.

Quicquid autem obmoveatur, nos tamen illud, salvâ ali-
 ter sentientium autoritate, ejus ponderis esse non arbitra-
 mur, ut à priori sententia nos recedere cogat. Quod enim PRI-
 MVM obiecitur, nobis parum obstat. Negamus enim (8) sup-
 positum, quod exclusio hæc matris sit odiosa; Ea namque odio-
 sa dicimus, quæ auctum reddunt irritum, (adeoque eversio testa-
 menti potius esset odiosa) quæ pœnam continent. &c. vid.
 Pufend. de f. N. & G. L. V. c. 12. §. 12. Deinde (9) fingamus, ex-
 clusionem matris odiosam esse, id procedet solum, si fiat à filio,
 fecus si à marito jure patriæ potestatis proprio. Ad SECUNDVM
 &c. Non opus erat, ut testator expressis verbis idem disponeret in
 casta, quo filius hæres existaret, sed in impuberi ætate decesseret;
 cum substitutio vulgaris expressa contineat pupillarem tacitam,
 non tam ex dispositione Testaroris, quam Legis, ut concedit &
 tradit ipse Brunn. adl. 4. pr. ff. de vulgo. & pup. subst. ut vana sit
 contraria præsumptio, venturique cedat. Si enim uxorem suam
 magis dilexisset maritus quam substitutum, vel eandem ad bona fi-
 berorum vocare voluisse, cohæredem eam scribere, vel volun-
 tam suam explicesse declarare posuisse, quod substitutus solum
 succedere debeat, si filius hæres non fuerit. Et cùm Lex indi-
 stinctè substituto hæreditatem addicat, sive mater adhuc in vivis sit,
 sive non, nec nostrum erit distinctionem hanc excogitare l. 8. ff.
 de publ.

de publ. in rem act. cum manifesti juris sit, quamdiu speratur haeres testamentarius, non admitti legitimum, quia dispositio hominis facit cessare dispositionem Legis. l. 39 & 70. ff. de adquir. hered. Ad TERTIUM &c. d. l. ult. sicut sup. §. i. traditum est, magis facere pro nobis, cum tanquam exceptio regulam magis corroboret. Deinde ratio d. l. non ea est, quod lucuosa sit matri filii haereditas, sed quod cohaeres filio data sit, uti ipsissima cit. l. verba satis indicant; sicut alibi quoque parentium successio lucuosa dicitur l. 28. C. de inoff. test. & tristis §. 2. l. de SC. Tert. l. ult. C. comm. de succ. quotamen non obstante parentes quandoque ab aliis excluduntur. dd. LL. Ad QVARTVM, quod aequitatem hanc, eeu LL, contrariam, non agnoscamus. Ad QVINTVM, quod utique sequatur: cuicunque non competit querela inofficiosi, eidem nec competit Legitima. Si enim Legitimā non reliquā alio remedio uti potuissent ritē exclusi, quid opus fuisset querela inofficiosi? quam tanquam actus validi rescistoriam nunquam concessuri fuissent prisci LLatores, favori ultramarum voluntatum, quantum potuere, consulere studentes, si alia actio in promptu fuisset. vid. Stryk. Tr. de S. A. 9. Diff. 1. c. 1. n. 13. Nec condicō ex Lege hīc quicquam proderit, cum in toto LL. volumine nova Lex, quā hoc in casu matri Legitimam tribuat, non reperiatur. SEXTI infinitas ex iis, quā sup. in Controv. prim. diputavimus, ultrō dispalēcit. Nec magis SEPTIMVM nobis obest, cum LL. quā gravamen abesse volunt, presupponant Legitimam deberi, quod cum hīc securus sit, non entis nullae statui possunt affectiones.

Quod superest, supremo Parenti D. T. O. M. pro infinitis, quibus nos à pueritia usque mactavimus, beneficiis, præterim verò singulari, quam in studiis nostris largissime nobis hactenus imperavit, gratia LOCO LEGITIMÆ à morte alioquin debitæ, vivi consecramus laudem & gloriam in secula secundum usque sine fine continuandam.



COROLLARIA.

Fundum ex Anglico FEE stipendium militia & sagata & togata denotante & OED dictum esse probabile est.

Jus ferias universales constituendi male inter reservata Imperatoris refertur.

Gradus Academicus Nobilitatem specificè dictam neutquam obscurant, sed eidem majorem potius splendorem conciliant.

Nominum immobilium à mobilibus differentia ab usurarum prastatione desumpta vix subsistit.

Actiones mobiles ab immobilibus rectius natura objecti distinguit.

Ex delicto alterius tertio quandoque commodum obvenire absolum non est.

D Doctrinæ

Doctrinæ studium, vis mentis
& entheia *FRANCUM*
Commendant; meritò hinc
præmia digna feret.

Nobilissimo Dno. Candidato amico suo esti-
matissimo I. mq scribebat, ac simul de
conferendis honoribus ex animo adgra-
tulabatur

Johannes Nicolaus Hertius
J. U. D. & P. P.

Dum bene Legitimam de-
fendit Franckius, ipsi
Patria mox spartam, Le-
gitimamque dabit.

Solidæ Eruditioñis Candidato, Fautori
suo Honoratissimo, cum omnigenz
prosperitatis voto ex animo gratu-
latur.

Bernh. Ludov. Mollenbecker D.
Fac. Jurid. b. t. Decan.

4.2 27 4.2

QVARTAM non tribuis naturæ ex
lege Parenti!

Quid si Legitimam detrahatur ipse Tibi?
Judice me, quæreris Titulo superare Parentem,
Addere & Ingenii dotibus artis opes.
Quod probitas virtutem meruit, quod Vota

Tuorum,

Quodque vovent omnes, id mea Vo-
ta volunt.

Hic Nobilissimo Dno. Candidato, pater-
narum virtutum Emulo, ex animo
gratulatur

Simon Nicolaus Orthius
J. U. D. & ej. Prof.

Quod Studium, quod cura gravis, quod vota parentum
Ut reliquos habeant genitos, de Jure merentur,
Dum vivus prestas, Te respondisse parentis
Voto, legitimam modo Te soluisse fateri,
Te lauro dignum, Te FRANCVM dicere cogor.

Nobilissimo & Doctissimo Dno.
Candidato memoriae causa gra-
tulabundus adscribebat

Meleb. Dethmarus Grolmarz
D. C.P. 7. Ord.

189 28

Dominum Tu Legitimam, FRANCKI GENEROSE, pa-
rentum

Prosequeris justis, legitimisque modis;
Prosequor omnibus letis, molimina mentis
Egregia, & ceptis accino jure Tuis.
Non piguit doctis multum impallescere chartis,
Hinc Tibi jam studiis gloria parta venit.
Præmia legitime capies, & Juris Honores
Legitimè attribuet mox Tibi Jure Themis.
Lætatur meritis Urbs florentissima Mater,
Extollit Civem, laudat & usque suum.
Huic ego jungo meos sincero precatoris plausus,
Det DEUS, ex Voto prospера quæque fluant.
Sis fortunatus. Dominus Tua cœpta secundet.

Mille feras Patria gaudia, mille Patri;

fra GENEROSO Domino FRANCK de Liechtenstein,
Favori pariter & Amico Honoratissimo, Auditori
quondam maximè sedulo, nec non Commensali sua-
vissimo, de Summis in Vtroque Jure Honoribus, cum
omnigena prosperitatis voto sincero, suique commenda-
tione, animitus accinebat,

Georg Ludovic. Handwerck / J. U.L.

Dicaster. Princip. Hasso-Giffeni Advoc. Ord. &
Diversor. Gan-Erbinat. Syndicus.

FINIS.

ULB Halle
005 372 02X

3



Farbkarte #13



B.I.G.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
PENTADEM CONTROVERSIARUM

DE 1704, 2 M
LEGITIMA
PARENTUM SISTENS,
QUAM
SUPERNA FRETUS CLEMENTIA,
EX
DECRETO INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ
IN CELEBERRIMA GISENSIVM UNIVERSITATE
PRO SUMMIS IN UTRQ; JURE
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTOR ALIBUS
RITE CONSEQUENDIS,
AD DIEM XVI. SEPT. A. MDCCIV. H. L. Q. C.
PLACIDO
EXCELENTISSIMORUM ACADE-
MIÆ PROCKERUM EXAMINI
PUBLICÉ SUBMITTIT
JOHANNES SIMON FRANC
DE LIECHTENSTEIN,
MOENO-FRANCOFURTENSIS.

GISSÆ HASSORVM,
Excid. JOHANNES REINHARDUS VULPIUS, Acad. Typ. Ord.